ORATIO PANEGYRICA

IN HONOREM

CAROLI II.

Britanniarum

CÆSARIS,

In *Angliam*, Plaudente Orbe Britannico, Remigrantis; habita Oxonii *Maii* 23. 1660.

A

JOANNE HARMARO,

Lin. Gr. apud Oxonienſes Præl. Regio.

——— *Non diſplicuiſſe meretur,*
Feſtinat, CÆSAR, *qui placuiſſe* TIBI.

LONDINI,

Typis *Thomæ Roycroft*, pro *O. P.* ad Signum *Roſæ* in Cœmeterio *Paulino*.

BODLEIAN
P
5 FEB 1962
LIBRARY

Oratio Panegyrica, &c.

EXPLORATE Verum est illud argutissimi *Velleii*, *Magnarum Fortunarum Comes Adulatio.* Ut, Imperatores, Reges, & omnes adeo viri Principes, cuicuimodi fuerint, sive *Boni*, sive *Mali*, omni ævo, suos habuerint laudatores, aut, ut verius dicam, per anagrammatismum, adulatores, & deinceps habituri sint. Hi autem, fuere, vel lacernosi *Poetæ*, vel *Rhetores* famelici, non pannosi minus, quam facundi; qui, vel metu supercilii, vel spe lucelli, scribunt, inscribunt, & Mæcenatibus suis abblandientes, ingentes illis titulos accumulant, fausta precantur omnia, exosculantur manus, provolvunt se ad pedes, lambunt vestigia, ad nutum adeunt, & abeunt, & ad illorum aures deliniendas, totum assentationis Seplasium exhauriunt; & rebus fortasse non bonis, bona affingunt nomina:

mina : & perinde faciunt, ut ii, qui putridis & carioſis imaginibus, Purpuriſſum, aut Aurum illinunt.

Ut taceam nupera & recentiora Exempla, (quibus luxuriavit hæc ætas, antequam *Olivarius Cromwellius* animam ſuam non ſolummodo *Plebeiorum*, & *Nobilium* ſanguine rubentem; ſed etiam cruore *Regio* purpuream evomeret)

vultis unum aut alterum ex priſcis Romanorum Annalibus erutum, impræſentiarum vobis propinem? Videte mihi quam ubertim & copioſè ſe Paterculus effuderit in laudem *Tiberii* bipedum nequiſſimi. Quid? quòd Claudium Imperatorem, Senatus, Pop. Rom. Exteræ Gentes, omnes Ordines, omnis ætas, omnis Civitas, ſtatuis, vexillis, coronis, Fanis, Arcubus, honoraverunt. Sed nec quenquam latet, quàm immenſis laudibus ingenioſus ille *Bilbilitanus vates* (ut de *Papinio* nihil dicam) *Domitianum*, ſcelera non patrantem minus, quam ſpirantem, ἐσχάτης ὠμότητος, ſummæ crudelitatis hominem, hominem autem? immo Belluam, ad Cœlum extulit, illumque *Dum* appellitans, [*Dicturus Dominum, Deumque non ſum*] ἀποθέωσιν vivo detulit, & quaſi cœlo intulit.

Vid. Salmaſium ad Auguſt. Hiſtor. p. 203.

Herodian.

Mar. l. x. Ep. 72.

Quæ

Quæ tamen Eulogia, non ab intimis animi receſſibus, non ab *interiore homine* profecta, & in indignos collata, nempe, ut nihil indignum in *Academiam* patrarent (utpote quæ fuerint ad amolienda mala comparata) nihil aliud ſunt, quam Sarcaſmi Blanditiarum melle delibuti, et bonæ laudes malè collocatæ (quarum menunc pænitet, tædet, piget, pudetque) & *Deprecationes* magis, quàm *Deprædicationes*. Quocirca, longe feliciorem iſtis, vel *vatibus*, vel *oratoribus*, me eſſe cenſeo, qui non invitus, non ſemiplena voluntate, non timore perculſus, non vilitate Argumenti oppreſſus, non utilitate allectus, non faſcino aliquo impulſus, non cunctanter, non aliorum exemplo magis quàm judicio meo; ſed meapte ſponte, ſed ultro, ſed expedite, ſed vere, ſed clare, ſed ex animo, ſed cordicitus & ex imo pectore, ſed ſeriò & vero vultu, celebratum hodie prodierim, *Heroëm*, (cujus virtutes ſupra adulationem omnem aſſurgunt) SERENISSIMUM BRITANNIARUM MONARCHAM, *Ter-illuſtrem* CAROLUM, Regem Regibus, Avis, Proavis, Abavis, Atavis editum,

CAROLUM SECUNDUM

Tempore quidem, & in Annorum se*Secundum*, at reapse secundum nulli; n*Carolo Quinto*, non *Carolo Magno*, imn non *Carolo* Patri suo (τῷ Μακαρίτῃ) ej nominis *Britanniarum Primo*; Principi, o pietatem erga Deum, ob integritatem vit erga omnes, ob æquitatem & clementia erga Subditos suos, celebratissimo.

Cujus in Solium & Dignitatem, Filiu ejus Natu maximus, major Natalibus, *CAROLUS SECUNDUS*, Rex glorioſissimus, (Utpote in quo uno Fulgentissimæ omnes totius Europæ Familiæ coaluerunt) tum jure suo, tum maximo suo merito, tum ex omnium Bonorum voto, quam auspicatissimè successit.

Quo jam nunc *Angliam* suam cogitante, Boni omnes præ gaudio exiliunt, & videntur etiam gaudere mali, ne viderentur mali.

Et in auspicium ejus felicissimi Adventûs, quam claro applausu, quam lætis Acclamationibus personant, non duntaxat Urbium Plateæ, sed etiam Pagorum compita! quibus per hosce dies, nullam requiem gratulationes dederunt. Quinimmo, per pyras & Lignorum strues in editioribus locis

aphatim

aphatim congeſtas & concrematas, Communem Exultationem ſuam hæc *Carolina* Regnorum *Trias* teſtatiſſimam fecit.

Hæc enim complures jam annos Inteſtini Belli calamitatibus, non edomita minus, quam edocta, tandem aliquando perſentiſcit, & ultro jam fatetur, eſſe ſibi multo conſultius, habere Regem, qui tutus, & quietus, ad Imperii ſui clavum ſedeat; quam eſſe veluti navem huc & illuc ſine Navarcha, ſine Temone fluctuantem.

Et tamen *Novatores* aliquot novitii neſcio qui (ſibi magis, quam in medium conſulentes) aliam *Regendi Formam*, neſcio quam, nuperrime ſomniarunt; & (quæ fuit illorum pervicax & tamen erratica & cæca fiducia) protinus excudere attentârunt. Sed ova iſta, quibus incubare tamdiu volupe illis fuit, ſubventanea fuere omnia; & poſt tot elucubrationes & vigilias, poſt tot laborantium ingeniorum nixus & ὠδῖνας, tandem prorepſit muſculus.

Hoc autem ſit iſtis *Novatoribus*, quibus geſtit animus res permiſcere omnes, & (Vernaculo Proverbio) in conturbatas aquas hamos immittere, ſit, inquam, illis pro rato & fixo;

Nec

Nec ANGLIAM, *nec quicquid uſquam Terrarum* CAROLINÆ DITIONI *ſubjacet, velle, aut etiam Poſſe ſine Rege Regi.*

Propterea quod, horum Regnorum Genius, & (ut cum *Perſio* loquar) Aſtrum, quod hæc temperat, *REGEM* efflagitat, & ut Summa rerum ad unum redeat, *Cui*, veluti Fulcro, ſalus populi innitatur.

Eſt enim [Βασιλεὺς] quaſi *βάσις τῦ λαῦ*, ſi optimorum Etymologiſtarum dogmati acquieſcere velimus. Et quippini? Quinetiam, Spiritus Sanctus *REGEM* ὑπερέχοντος Titulo inſignivit; ut qui *poteſtate* ſua ſuos ſuperemineat, quos robore & *potentia* ſua ſuſtentat.

Et ut unum fundamentum unis ædibus ſuſtinendis ſufficit; ita *Rex unus* uni Imperio. Quod ut conſiſtat, nihil opus eſt *Polyarchia*. (Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.—) Inter multos enim facile, oboritur æmulatio; & inde *Lites, Diſſidia, Partes, Pugnæ.*

Non eſt bonum multos dominari.

Ubi enim ſingulorum arbitrio res geruntur, ibi multi regunt, nemo regitur; ibi homines qualeſcunque ſint, faciunt quod libet, & quod libet (ut plurimum) non

non licet. Ut, in hoc rerum turbine, homines ſine *Circæo* poculo facilè obbruteſcant; & perruptis legum caſsibus, non impunè minus, quàm improbè, in flagitia quæque ſe ingurgitent; & nullis finibus circumſcripti, ſolutiùs vagentur, & in τὺς τυχόντας deſæviant, & *Tyrannidem* exerceant.

Sunt enim (ſi *Ariſtotelem* audire libeat) in univerſum duæ tantùm Regiminis ſpecies, nempe, τὸ βασιλικὸν, ϗ τὸ τυραννικόν. Quarum, hæc *mala, & noxia*; illa verò, *Bona & ſalutaris*. Et neceſſe eſt, alterutra harum obtineat; ut vel *Rex*, vel *Tyrannus* imperet.

Hoc autem *Rex* & *Tyrannus* intereſt; *Rex*, non tam ſe, quam ſuos omnes curat, & fovet, & ſemper reſpicit τὸ Κοινὸν, ϗ τὸ Καλὸν: *Tyrannus*, ſuorum omnia (ſi tamen ullos habeat quos ſuos appellet) ad ſe rapit, & pro ſuis reputat, & omnia facit τῆς ἰδίας ὠφελείας χάριν: & id agit, ut plebem ad inopiam redigat; Nobiles autem, τὺς ὑπερέχοντας (ex *Periandri* conſilio) tanquam eminentiores agri ſpicas amputet. Id quod eſt a Lacrymoſo *Cromwello*, ſub Religionis obtentu, & pietatis larva, ſubinde perpetratum.

Commune Bonum. Honeſtum Ar. Pol. l. 5.

Propriæ utilitatis gratiâ ibid. Pol. l. 5. x. ſuperiores, ſive Regni proceres.

Quam

Quam itaque *Nos* (*Nos*, inquam) beati ſumus, quam *Deo Opt. Max.* devincti, q ii *Eccleſiam* ſuam, & Miſellam hanc *Gen.*

Nazian Ep. 39. ſine Paſtore, ſive Rectore.

tem ἀποίμαντον, ſine *Re*, ſine *Rege*, ſub tot oneribus fatiſcentem, tot erroribus involutam, à *noſtratibus* magis, quam ab *Exteris* metuentem, miſeratus; poſt tot annorum tædia, poſt tam duram & duraturam ſervitutem (pecuniis noſtris accerſitam) poſt ſpem *Regis* tenuem, aut prope nullam, ſine hoſtili armorum crepitu, ſine lituo tubæ permiſto ſonitu, ſine ſtrictis enſibus, (niſi ad defenſionem) ſine tormentorum diſploſionibus (niſi ad publicam lætitiam ſignificandam comparatis) ſine Direptionibus ædium, ſine calamitatibus agrorum, ἀναι-

Citra ſanguinem.

μωτὶ, aut etiam ἀνιδρωτὶ, *Cromwellũ Tyrannum*

Citra ſudorem.

ſuſtulit, *Monkum Archiſtrategum* induxit, *Carolum Regem* indulſit, uſquequaque *Magnum*, uſquequaque *Bonum*, ac proinde *Conſummatiſſimum*. A quo uno, & ſolo (ſecundùm Deum) noſtra omnium ſpes, & ratio ſtudiorum pendet; nec aliunde quam ab Illo, Salus noſtra vel ſperari potuit, vel peti debuit. Qui in Publica *Europæ* flamma, & etiamnum detonante foras Bellorum Erinny, *Pacem* genuinam & veram, ejuſque germanas filias, *Libertatem*, ſine metu ſervitutis; *Uberiatem*, ſine metu amiſſi-

amiſsionis, nunc tandem peregre veniens, propediem ad nos ſecum advexerit.

Peragravit enim *Exterorum Regna*, ut *ſua* ſolertius adminiſtraret. Et certe quidem, ad moderandas Imperii ſui habenas, nihil in illo deſideratur, ſive internas *Animi* dotes, ſive Externas *Corporis* Elegantias penſitemus.

Et quoniam, (ut ait *Saluſtius*) *Dux & Imperator vitæ mortalium eſt Animus*; immo, (ut rem penitius introſpiciam) *Animus cujuſque is eſt quiſque*; ſermonem meum auſpicabor ab ejus *Interiore venuſtate*, & ab iis potiſsimum *Virtutibus*, quæ primariæ ſunt, & a quibus reliquæ omnes tanquam a ſuo pendent cardine; nempe, ab ejus *Prudentia*, *Juſtitia*, *Fortitudine*, & *Temperantia*, ad quas *Homileticæ*, quæ quodammodo privatæ ſunt, & anguſtioris gyri, referuntur. In quibus enumerandis potius, quam enarrandis, ἀκροθιγῶς tantum, & ſtrictim dicturus ſum; quà, ex notitia mea; quà, ex ejus fide, qui *Characterem Regis* argute, & eleganter contexuit.

In Jugurth.

Cic. Somn. Scip.

Summis digitis attingendo.

Prudentiæ Regis fidem faciunt, ſagacitas ejus, & acre judicium in rebus cognoſcendis & gerendis, in cauſis dijudicandis, & in Controverſiis dirimendis. Tum etiam ejus ἐχεμυθία, ſanctiorum cogitationum fidelis

Taciturnitas, ſive a ſermone abſtinentia.

delis cuſtos, & quaſi myrothecium, & eſt inſuper, indubium Prudentiæ argumentum.

Quibus virtutibus *Sacratiſſima Majeſtas* ejus ita pollet, ut nemo potuerit, vel ejus expiſcari Arcana, vel Ipſi Lenociniis ſuis, & offuciis imponere.

Hanc autem ejus Solertiam, *Lectiſſimus Princeps* (ſolum vertere coactus) non ut exſulans tamen, ſed ut peregre profectus, (*Cromwelli ingratiis*) plurimum adauxit.

Hæc enim ejus ad exteros commigratio, (quam *Cromwellus* Ipſi, ut exitioſum quiddam eſt machinatus) Benedictione Dei ceſſit in bonum; nec pæna fuit, ſed diſciplina. Ita Providentia Divina Pientiſſimo Principi, omnia mutavit in melius, & Ipſi bona ex malis evocavit, & ex periculis impendentibus, Illum, non citra miraculum, exemit; cui Deus Miſericors Pater, diſcrimina oſtendit magis, quàm immiſit.

Juſtitiam vero tam religioſè colit & obſervat, ut bona cuiquam, vel per vim eripere; vel per fraudem ſurripere, flagitium putet. Et ut juſtus eſt, ita non eſt *nimium juſtus*; non enim conſectatur τὸ ἀκριβοδίκαιον; ſed aſperitatem Legis, ſummâ ſuâ æquitate mitigat.

Summum jus.

Et cum ejus *Juſtitia*, *Fortitudo*, quæ eſt illi

illi à natura insita, pari passu incedit. Licèt enim sit Princeps, in contùbernio mansuetus, in alloquio mitis & facilis, acer tamen est in Prælio.

Et in *illo* potissimum prope *Wigorniam* depugnato, multa & singularia dedit utriusque fortitudinis specimina, *i. e.* tum *faciendo*, tum *patiendo*. Id quod teterrimus ejus, & funestissimus hostis *Cromwellus*, (aliorum parcus Laudator) vel invidiâ ductus, vel famæ suæ minuendæ metu, non palam, sed privatim est confessus.

Adeo ut, in Sereniſſimum nostrum *CAROLUM*, tam *Justum*, & *Magnanimum*, versus illi *Virgiliani* meritò quadrent, quibus Æneam Herôs quispiam (*Latinarum Partium*) affatur,

——— *O Famâ ingens, ingentior Armis,*
Carole Magne! Quibus cœlo te laudibus æquem!
Justitiæne priùs mirer, Belline laborum!

Et certè Rex tanti roboris & strenuitatis, in quo tanta pectoris & lacertorum firmitas inest, (quo tempore apud Exteros in *Gallia*, in utraque *Germania*, & aliquantisper etiam in *Hispania* consedit) nunquam passus est solidos dies segni otio defluere.

In illo enim ita viget industria, ut superiore

riore anno, omnem *Galliam*, *Hiſpaniæque* partem, idque in adulta æſtate, ſub ſole acri, vectus equo pervolârit.

Porro, *Clementia*, & naturæ ſuavitas, quæ etiam eſt illi innata, (Fortitudini ejus velut oleum innatans) aſperitatem hoſtium emollit, quos bis ſuperare ſolet, non miſericordiâ minus, quam Armis; ſemper paratus,

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Quinetiam, erga omnes ſe comem præbet, & Majeſtati ſuæ ita candorem admiſcet, ut in ejus conſpectum venire nemo detrectet. Et ſiquem ad illum accedentem, ſubtimidum & nimium verecundantem eſſe ſenſerit, hunc aliquo mitiore alloquio ſublevat.

Tam bene conveniunt, & in una ſede moranitur
Majeſtas & Amor.——

Et in quotidianis ſuis congreſsibus, vel cum *exteris*, vel cum *domeſticis* & *neceſsariis*, affectibus ſuis omnibus ita moderatur, ut prorſus immunis ſit ab hujus ævi vitiis, quibus non cerea tantum & florentior ætas;

ætas, ſed etiam corroborata ſæpius implicari ſolet.

Præterea, modum ponit iræ; & conſimilem etiam moderationem adhibet in menſa, & ſanitatis ergô, intra famem victitat.

Etenim, ſive in Caſtris agens, ſive in Stativis, commeatu tenui ſimul & facili, ſæpiſsime contentus fuit; ut viſus ſit, nec *Spartanorum Regum Phiditia*; nec frugi *Romanorum Coſs.* convivia deſpexiſſe.

Illud autem quod virtutibus ſuis omnibus, & pretium facit, & quaſi coronidem imponit, eſt ejus *Pietas* erga Deum; cujus *Nomen & Numen* aſsidue, & ſyncere veneratur, & ſe ſuaque omnia Divinæ voluntati jugiter attemperat.

Sed huic ejus Pietati, prævia fuit *Orthodoxa*, i. e. *Proteſtantium* Religio; a qua, tot licèt annos extorris, inter hoſpites & hoſtes verſatus, nec deterreri minis, nec blanditiis abduci, nec *Pontificiorum* Argutiis detorqueri potuit.

Ut, vel hinc meritiſsime nuncupetur,

DEFENSOR *Fidei*;

In qua, antea, a Præceptoribus ſuis, *Philogis* juxta ac *Theologis*, nominatiſsimis illis, (præcipue vero a *Cl. Doctiſſimo, Integerrimoque*

moque Præſule, ac D. D. Briano Duppa, S. S. Th. D. inſtitutus eſt; & (quod nobiſmet ipſis abunde gratulamur) non alibi, quàm *Oxoniæ*, in qua *Academia Tyrocinium* ſuum poſuit, utriuſque *STATOR*, & *Nutritius* futurus.

Et quoniam,

Gratior eſt Pulchro veniens è corpore virtus,

Nunc demum, mentis veſtræ oculos, ab ejus *Animo*, ad *Corpus* revocabo.

Et primùm ejus *STATURA* ſub aſpectum venit, quæ communi eſt elatior, & excelſior, ut nobilior eſt illi *Animus*; nempe, ut *Britannicum Imperium* humeris Ejus impoſitum altiùs aſſurgat.

Corpus verò ejus, nec gracile eſt, nec obeſum, utpote examuſsim, & quaſi graphicâ quadam ſymmetriâ partium coagmentatum.

In *Vultu* ejus *Gravitas* potiùs, quàm *Severitas* ſeſsitat; & hanc etiam ejus *Loquela* plurimùm demulcet.

Faciei color aliquantulùm jngricat, quem tamen ejus oculi ſuavirer huc & illuc ſe flectentes, & quaſi radiantes, ſerenant.

Et, cùm annum ageret undeviceſimum, *Faciei Figura* (cujus effigies jam diu penes me eſt) erat *rotundior*, tamque amabilis, ut amores

amores omnium ad se facilè pertraxerit.

A quo tempore paulò *compressior* esse cæpit; & in *formositatis locum*, *Majestatem vultûs*, ætatis ἀκμὴ & maturitas suffecit.

Etenim, *Florentissimus Princeps*, etiam hujusce *mensis florentissimi* 29. (jam appetente) tres annorum decadas explevit; ut qui fuerit natus Anno Æræ Christianæ 1630.

Cui *recèns nato stella* primæ magnitudinis propter adultum solem affulserat, & etiam prædixerat, nos a temporali servitute liberatum iri per *CAROLUM SECUNDUM*, Patriæ suæ *conservatorem*, & *Patrem* futurum. Qui, ut hoc mense *MAIO* natus est in *Mundum*; ita etiam eodem mense natus est in *Imperium*.

Cæsaries autem ejus (ut ne adjuncta quidem præteream) *densior* est, & *promissior*, & emicante quadam nigritie conspicua, & pauculis aliquot respersa canis, non *ævi*, sed *animi*.

Non est autem illa calamistrata, sed suapte sponte in largiores annulos recurrens, in ejus brachia defluit, & magnam illi venustatem conciliat.

Gestus vero ejus, sive *motus corporis* Ipsius, sunt admodum decori, sive in *Orchestra*,

ſive in *Sphæriſterio*, ſive in *Hippodromo* ver-
ſetur; quibus in locis, ſanitatis gratiâ, nul-
lo non die ſe exercet.

Atqui verò non in his duntaxat ſpa-
tiis, ſed etiam ubicunque comparet, U
oculos, ita etiam & animos omnium
qui ad Illum viſendum confluunt, ad ſe
rapit;

Mar. 7. 7. de Traja-no. *Adeóq; mentes omnium (CAROLE) tenes unus*

Sunt etiam alia nobiliſſimi *CAROLI* or-
namenta quamplurima, quæ *Curâ* & *Stu-
dio* ſibi accerſivit, de quibus nunc ſecun-
do in loco viderimus.

Hæc autem *Linguarum* & *Scientiarum*
nomine veniunt, quæ *Literaturam* omn
genus, & totam inſuper *Encyclopædiam*
ſe complectuntur.

Et quoniam *Literatura* multiplex eſt, &
in varios ſe diffundit ramos, qui varios
itidem ex ſe ſpargunt ramuſculos, ut un
ſinu comprehendi nequeat, (nedum
uno homine ad *Praxin* traduci) *Majeſta*
ejus, ex multiplici & vario *Literarum*
Theſauro, ſelegit ea quæ ad uſus Re-
gios accommodatiora videbantur.

Et præter cæteras *Literaturæ* Partes
Mathematica penitius introſpexit; & *Hiſto-
rias*, (in quibus *Sapientiæ* ſumma poſita
eſt)

est) tantùm non omnes, tum Antiquas, tum recentiores, studiosè, & cum fructu pervolvit; & libros etiam aliquot *Politicos*, (melioris notæ;) & (*Genii* sui ductum secutus) cum *Naucleris* identidem congressus, & complures septimanas, aut etiam menses, in navi commoratus, ad *Regnorum* suorum mænia (profundiora, quam altiora) pensiculatius exploranda, perquam appositè in ipso mari, *Artem Nauticam* arripuit, & in ea brevi tam felices fecit progressus, ut animos omnium, qui de *Rebus Nauticis* differentem illum audiverunt, non minore admiratione, quàm Lætitiâ perfuderit. Præterea, rectè tenet usum *Globi*, cui aliquando imperabit (si *Grebnero* Fides) cujus *Prophetia* Manuscripta in hæc verba loquitur;

Carolus de Carolo erit major Carolo Magno.

De *Linguis*, *Majestas* ejus, præter *vernaculam* sive *Patriam*, callet *Latinam*, *Italicam*, *Hispanicam*, & *Gallicam*, quam novisse magis, quàm frequenter uti consuevisse, censetur.

Et, ut *Gentium Linguas*, ita etiam
Ipſas *Gentes* de facie novit; & cum illis
ſermones contulit, & earum urbes vidit
& mores excuſſit, & de Regione in Re-
gionem tranſvectus, & quaſi tranſvaſa-
tus, *(terris jactatus & alto)* multa tuli
& multa didicit. ἐξ ὧν γὰρ ἔπαθεν, ἔμαθε.
Hæc autem *Britannici Roboris* exagitati
& concuſſio, radicem ejus altiùs defixit.

Denique, *Majeſtas* ejus, *Bonis Literis &
Literarum ſtudioſis*, ſummum ſe Fautorem
præbet; & in hoc ipſo amore, non ver-
miùs, quàm feliciter, *Patriſſat.*

Patriſſavit etiam nimium diu, nempe, fe-
rendo mala, & multa, & dictu horrenda
& perpeſſu aſpera.

Quæ dum mecum reputo, tranquilla
quodam horrore me perfuſum ſentio. Se-
nolim doloris iſtud incendium redintegra-
re, quod communis gaudii Lacrymis jam
jam reſtinximus.

Quare nunc tandem, Salve

Auguſtiſſime CAROLE!

Æternùm Salve!

Et cum nihil ſit, quod vel à *Natura*
vel ab *Induſtria*, vel (ſi ita dicam) à
Fortuna

Fortuna exſpectari poſſit, quin TU Illud cumulatiſſimè conſecutus fueris; & cum nunc tandem Illuſtriſsimus *Georgius Monkus*, *Herôs* divinitus datus, tanquam *Alter Hercules* Ἀλεξικακὸς, *Prudentiâ*, *Fortitudine*, *fide* & *Conſtantiâ* ſuâ (*cujus* etiam *Inſtituto*, & *Voto Noſtro*, prævia fuerunt *Honoratiſsimi* D. D. *Georgii Boothéi* grata molimina) TE (Chriſto Auſpice) ad Priſtinum Tuum, & *Jus*, & *Statum*, ad *Tuos*, & ad *Tua*, poſtliminiò, reſtituerit, & quaſi ex Mari turbido in tranquillum deduxerit; nunc, poſt exciſum *Veprem*, poſt exactos *Ephoros*, poſt extinctos *Regicidas*, poſt averruncata tot Regulorum millia, poſt reliquias *Cromwellianæ Conjurationis* peſſundatas, poſt *Secures* & *Gladios* à cervicibus noſtris, *Feliciſsimo interventu* Tuo, rejectos; noſtra *Tui Eulogia* æqui conſule, quæ ex tuis efloruere meritis; & (Beneficio Dei) *Tu* inimicis tuis omnibus ſuperſtes, fruere Subditorum Tuorum *Amore*, armaturâ telis hoſtium impervià; Etenim,

Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela,
Quàm tutatur Amor. —

Fruere *Regnis* hiſce *Tuis*, & *Tua Te*; (in cujus ſolius Fide & Tutela, ſtat illorum, &

Tranquillitas, & Incolumitas) & Majeſtas Tua in *Angliam* Tuam auſpicatò regreſſa, dignabitur inſtaurare, quod collapſum eſt, vincire legibus, quod ſolutum eſt; reponere, quod luxatum eſt, & ſqualentes hujus decoloris ævi mores,

Tuis emendare;

Georg. 4. ——— *Victorque volentes*
Per populos dare jura ———

Quæ ut maturè facias, Deum obteſtor atque veneror, ut *Vivas*, *Valeas*, *Vigeas*, *Vincas*, *Floreas*, & *Patriæ Tuæ*, & *Voti* compos; & in cœlum, (unde ad nos, tanquam *Ancile Numæ* delapſus es) ſerus remigres.

Interea temporis, ut *Britanniarum Phœbus Alter*, in Tuo collocatus ſolio, diffunde Benignitatis tuæ radios in omnes *Imperii Tui* angulos; Reſpice τὸ Κοινὸν, multos *jam* annos ſuſque deque actum, et deformatum; Reſpice *Eccleſiam*, illique *Patrimonium ſuum* (à Sacrilegis pœne abſorptum) & *Ordinem* reſtitue; Reſpice *Bonas Literas* (quod jam facis) et imprimis illarum Fontes, binas haſce Tuas Sorores antes *Academias*, et omnes *Illarum*, (adhuc tremulas et palpitantes) *Muſas*, quæ, Te licèt abſente, Tibi tamen inſervierunt; ac proinde

Commune Bonum.

inde in Sacratiſsimo *clementiæ Tuæ* ſinu quin reſpirare poſsint, minime diffidunt. Reſpice, præter cæteras, binas itidem *urbes Tuas*, Alteram, *Londinum*; *Weſtmonaſterium* Alteram; quarum, hanc, *Imperii Tui Acropolin*; Illam, *Metropolin* eſſe dixerim. Quæ cum reliquis Tuis omnibus, et cum Univerſo *Populo* Tuo, Se, ſuaque omnia Tibi æternùm, et debent, et ſpondent.

His ames dici Pater atque Princeps!
——————Diuque
Lætus interſis Populo Britanno.

DIXI.

AD

AD CAROLUM SECUNDUM BRITANNIARUM CÆSAREM,

Ejusdem Autoris Epigrammata.

Χαῖρε μέγας Βασιλεὺς, πάντων Βασιλεύτατε ἄλλων!
Ἄνδρας, καὶ Πόλιας, καὶ φιλέοντα Θεόν.
Ὦ τριπλῆ, τετραπλῆ τε μάκαρ, μέγα κῦδος Ἀνάκτων!
Καὶ τὸ πλέον, πάσης κῦδος Ἀναξοείης.

Πρὸς τὸν Αὐτόν.

Τῶν Αὐτοκρατόρων ἦν Πρῶτος Ἰούλιος Αὐτός,
Δεύτερος Αὐγοῦστος Αὐτοκράτωρ γέγονε·
Δεύτερος Αὐγοῦστος, καὶ Πρῶτος Ἰούλιος ἐστὶ.
Δεύτερος Εἰρήνῃ· Πρῶτος ἐνὶ πολέμῳ.

Πεὶ

Περὶ τοῦ Αὐτοῦ.

Κύριος ἐξαίων Λαοῦ στοναχάς τε, γόους τε
Πτωχῶν τειρομένων, Ἐπαμύντορα ἐγγυάλιξε.
Νόσφι βοηθείας ἡμῶν Θεὸς, (ἄσπετα ῥέζων)
Νόσφι βοῆς πολέμου ἐπιδημίου ὀκρυόεντος,
Ἐξαίφνης Ἕτερον Κάρολον Βασιλῆα ὄπαζε.
Ὅς ποτε Ἀρχόντων Γαίης κρατερώτατος ἔσται,
Ἐκ Καρόλου Κάρολος Καρόλου Μεγάλοιό ποτ' ἔσται
Μείζων, καὶ πέραν Ἐυρώπης πάντεσσιν ἀνάσσει.
Ὃν Θεὸς ὀτραλέως ἀπιτάλλει, ταντοδαπῶν τε
Ἐμπλήθει ἀγαθῶν, Καρόλῳ τά τε δῶρα πορίζων,
Ἐυνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Ἐιρήνην τεθαλυῖαν.
Ὡς ἐρατὴν ἐφορᾷν ποθέω Βασιλῆος ὀπωπήν!
Δῶκεν ὃς ἐν θανάτῳ ζωὴν, καὶ φέγγος ἐν ὀρφνῇ.

De

De Insignibus Regiis, *Leonibus & Liliis.*

Vim triplicem ostentant Orbi *Trias illa* Leonum,
Quæ poterit reliquas exanimare feras.
Tales haud unquam peperit sibi Celtica Gleba;
Lilia blanditiis apta dat illa suis.
Ergo quid irrites Illos, male-sane, caveto,
Invito ne te Dente, vel Ungue terant.

FINIS.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·